

De P. Ovidii Nasonis, quae fertur,  
Consolatione ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis, filii ejus.

Scriptis F. Th. Adler, Gymnasii Praetor.

Notum est in Ovidii carminibus elegiam consolatoriam de morte Drusi ad Liviam Augustam, matrem ejus, scriptam ferri. Quod carmen quum jam puer, ex quo Langius, rector olim scholae Portensis, praceptor dilectissimus, illud, quo ipse non mediocriter delectari videbatur, legendum nobis commendaverat, adamavissem; postea, ut tenemur maxime iis rebus, in quibus latere aliquid et desiderare lumen videatur, nunquam de eo cogitare desii, eamque quaestionem, saepius abjectam, semper repetii. Itaque pergratum accidit, quum totam illam quaestionem, cur Ovidii esse eam elegiam primus Josephus Scaliger, post eum alii negassent, denuo instituerem, eoque consilio et quae vel maxime Ovidiana esse, et quae abhorrere ab ejus usu atque ingenio vel etiam ab omni latinitate viderentur, colligerem, ut Hauptium, virum cl., de ea re nuper scripsisse ex amico audirem. Quantopere vero offensus sum, quum non Ovidii, non alius alicujus poetae nobilis, non aetatis Augustae esse illam elegiam in Hauptii libro legerem; sed ignoti alicujus auctoris, imitatoris carminum Ovidianorum non inepti illius quidem, sed tamen nec artis poeticae nec rei grammaticae satis periti, qui saeculo p. Chr. n. quinto decimo in Italia fuisset.

Ac sunt sane argumenta ab illo allata partim satis gravia, partim probabilia saltem, sunt vero etiam, quibus nihil probetur, sunt alia, ubi deceptus esse iudicio videatur, atque ut nostrates ajunt, qui velit aliquem suspendere, eum non facile laqueo, quo id fiat, cariturum esse, ita haud scio an Hauptius carminis illius auctori quaedam vitio verterit, quae vel apud omnes poetas inveniantur, ut Homerus etiam dicatur interdum dormitasse, vel maxime sint Ovidiana. Accedit, quod elegiae illius codices exstant perpauca nec ii satis boni. Quod si in Ovidii carminibus, in ingenti codicum numero, tamen non pauci versus leguntur, qui nondum videntur sani esse; quid mirum si in hoc epicedio sunt, ubi haereas? Quibus locis si difficile est reperire medicinam, ideo plane desperatos habere eos nolim. Fortasse enim, ubi in codicibus medicina, qua sanetur ulcus, est nulla, sanabit ferrum, criticorum culter, nec recte totum carmen conclamatur, quia, quomodo hic vel ille versus corrigendus sit, non videmus.

Itaque ut, quo loco hodie sit illa quaestio a Scaligero primum mota, cognoscamus, Hauptii disputationem examinato, eoque consilio, quum singula ejus argumenta magna arte, ut alterum altero nitatur ac firmetur, apta inter se colligataque sint, eum disputantem per totum libellum persequar.

Ac primum quidem, ut carmen multa contineat, quae in vituperationem adduci non possint, tamen se et pauca admodum agnoscere, quae ex probabili quadam mediocritate altius emergant, et aequabilem constantemque artem desiderare Hauptius dicit. Primum enim cogitationes aliquoties negligentius esse inter se connexas, tum in modico versuum numero eadem eodem modo esse repetita, aliis contra locis poetam oblitum esse, quae brevi ante ipse dixerit, orationem saepe verborum sententiarumque concinnitate carere, denique in versibus componendis quaedam esse ab Ovidii usu aliena. Eum poetam, quamvis multis locis Ovidium vel compilaverit, vel imitatus sit, non posse esse Ovidium ipsum.

Deinde ne aetatis quidem Augustae esse illum poetam probare aggreditur. Neque enim unius Ovidii eum esse imitatore, sed etiam Virgilii, Tibulli, Propertii, ad quos infra accedit Statius, nec eorum solum Ovidii carminum, quae ante Drusi mortem scripta sint, sed etiam Tristium, denique eas etiam Heroidas illum secutum esse, quae post imperatoris Neronis demum tempora scriptae Ovidio falso tribuantur. Deinde, quaedam, quae de Liviae dolore referantur, discrepare cum Seneca, quem eundem scriptorem aliis locis illi ante oculos fuisse appareat. Denique sermonem illius elegiae non raro esse inquinatissimum et partim non latinum; quae de Fortuna caecis equis triumphante, de Tiberi curru vehente poeta canat, ab omni antiquitatis opinione et consuetudine abhorrere.

Tertia disputationis parte illud epicedium saeculo p. Chr. n. quinto decimo scriptum esse docet. Primum enim eorum codicum, in quibus Consolatio insit, nullum editione principe carminum Ovidianorum, quae prodiit Bononiae anno MCCCCLXXI, esse antiquiorem, et omnes esse Italos praeter unum Dresdensensem saeculo sexto decimo ab Italo aliquo confectum. Deinde versus quosdam Caelii Firmiani Symposii, qui poeta Wernsdorfio iudice circiter extremo saeculo quarto fuit, ab epicedii auctore esse expressos. Ita etiam eos versus, qui in Consolatione et iidem paene in elegia in Maecenatis obitum scripta inveniuntur, ex hac elegia petitos esse.

Postremo nihil, quod doctus poeta Italus saeculi quinti decimi scire non potuerit, in illo carmine legi ostenditur.

Jam vero toto disputationis Hauptianae consilio exposito, singula persequamur. Primum igitur ille artem in eo, de quo disputamus, carmine desiderat. Quod quo jure faciat, ut cognoscatur, argumentum ac rationem epicedii explicabo.

Nero Claudius Drusus igitur, cujus mors in eo lugetur, Liviae filius, Augusti privignus, Tiberii frater minor natus, spes populi Romani, postquam Rhaetos Vindelicosque suis fratrisque auspiciis vicit, anno a. Chr. n. nono consul quartam in Germaniam expeditionem fecerat et ad Albim usque pervenerat, quum ex fractura, equo super crus ejus collapsus, tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est. Casu ejus Ticinum, ubi tum non solum Augustus et Tiberius erant, sed etiam Livia videtur fuisse (Valer. Max. V, 5, 3.), nuntiato, Tiberius, quanta maxima poterat celeritate in Germaniam profectus, viventem quidem fratrem invenit, sed paulo post mortuum Ticinum primum deduxit, inde media hieme Romam comitatus est.

In hujus Drusi obitum scriptum carmen tres partes habet, quarum una est lugubris (v. 1—328), altera consolatoria (—v. 416), tertia exhortativa (—v. 474).

Ac primum quidem post breve prooemium, quo rem ipsam lugubrem et quam esset temerarium, moderari ei dolori velle, exposuit (v. 1—10), acerbum ac justum esse dolorem docet, nam quem lugeat Livia, rerum gestarum gloria eum fuisse ornatum (—v. 20), et matrem nihil tale expectantem, quin etiam triumphum filii parantem, ea clade esse afflictam (—v. 40).

Tum Fortunae iniquitatem accusat, nec Liviae, feminae summis virtutibus ornatae, nec Augusto, rebus humanis altiori et tot funera domestica aliud super aliud lugenti, parentis, et Parcas precatur, ut tandem aliquando sepulcra domus Augustae claudant (—v. 74).

Proxima quomodo cum praecedentibus cohaereant, propter obscuritatem versuum

*Cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur,*

*Ultima sit fati haec summa querela tui!*

non satis liquet. Quem locum depravatam esse quum interpretes consentiant, quos viderim, ceteri omnes, neque tamen quisquam ausus sit sanare, Hauptius integrum judicat et ita interpretatur: *removeris, Druse, e conspectu hominum et frustra sublato clamore nomen tuum appellatur; ultimae sint hae querelae, quas mors tua movet;* in sermonis autem duritie poetam latinitatis non satis peritum agnoscere sibi videtur. Equidem nec ipse habeo, quod mihi satis probetur, sed cum codice Dresdensi legere malim:

*Cedis et in longum tua numina, Druse levantur,*

*Ultima sit fati haec summa querela tui!*

i. e. *cedis et longe tua numina, Druse, ex his terris auferuntur: hic summus de fato tuo dolor sit ultimus domus Augustae; ut his quoque versibus domui Caesaris bona precetur.*

Summum autem esse luctum, poeta pergit, quod is vir occiderit, quo nemo fuerit virtutibus ornator. Multos in eo uno esse amissos, nec ullam matrem Livia fecundiorum, quae per duos filios tot tantaque bona reipublicae dederit (—v. 82).

Jam mentione duorum illorum fratrum injecta et luctum Tiberii describit et felicem eum praedicat, quod fratri morienti affuerit et suprema officia praestiterit, quum matri filius raptus sit absenti (—v. 100).

Sequitur descriptio moeroris, quo Livia ipsa tabescat, eaque cum fabularum antiquarum feminis, quarum nomina luctus clara fecit, comparatur (—v. 118).

Jam Livia ipsa effundit querelas (—v. 164), quod filio careat, quo ad id tempus gloriata sit, quod tumulus et ignis parentur ei, quo victore redeunte donis augere deos voluerit, quorum tutelae ac fidei filium commendaverit. Pro ea erga deos pietate jam referri sibi filium inanem, eumque diem, quo primum filium consulem ac victorem viderit, sibi fuisse moestissimum, nec solum ideo se esse infelicem, quod altero filio orbata sit, sed quod de altero quoque incipiat timere. Postremo, ut Tiberio saltem sospite moriatur, optat atque in eodem, quo Drusus sit conditus sepulcro, se quoque sepeliri jubet.

Tum vero, qui dolor ceterorum omnium, totius civitatis fuerit, poeta narrat, primum in castris militum, quibus invitis Tiberius fratris corpus ademerit (—v. 172), deinde quam luctuosum fuerit funus per Italiae urbes ductum, quam funestus in urbem Romam domumque reditus (—v. 180).

Jam urbis ipsius quae fuerit Drusi corpore illato facies, copiosius exponit. Communem omnium fuisse luctum et publicum per vias et privatum domibus inclusum, justitium factum, mutatas vestes, sacra intermissa, omnes ordines, omnes aetates, viros, feminas luxisse, lecti onus juvenes nobilissimos certatim subiisse, laudationem ab Augusto ipso habitam, cohortes ad rogam decucurrisse, Tiberinum ipsum, de spectaculo

illo rogi ad ripas suas extructi indignantem flammam exstinguere conatum esse, neque mitigatum, nisi Martis verbis, deos ipsos fato esse subjectos monentis (— v. 252).

Tum formam illam generosam, victrices manus, pectus magni ingenii domicilium flammis esse absumpta, rerum gestarum quidem gloriam aeternam futuram (— v. 270).

Per parenthesin autem injecta ampliore Germanorum, illius casus auctorum, execratione (— v. 282), ad eos honores redit, quibus Drusi nomen aeternae hominum memoriae traditum sit. Erat enim a Tiberio ex manubiis belli Germanici dedicatum Castoris et Pollucis templum ejusque fronti utriusque fratris nomen inscriptum. Hujus templi Ovidius quoque Fast. I, 705—708 mentionem facit:

*At quae venturas praecedet sexta Calendas,*

*Haec sunt Ledaeis templa dicata deis,*

*Fratribus illa deis fratres de gente deorum*

*Circa Juturnae composuere lacus.*

Ut hoc loco Ovidius, ita etiam Consolationis auctor v. 290: (*Cur adeo fratres heu sine fratre deos*), et Valer. Max. V, 5, 3: (*his scio equidem nullum aliud, quam Castoris et Pollucis specimen consanguineae caritatis convenienter adjici posse*), Tiberii et Drusi pietatem fraternam cum Castoris et Pollucis caritate comparant.

Eorum versuum autem, quibus in Consolatione de hac re agitur (v. 283—290), videtur turbatus esse ordo. Nam quum versibus 283 et 284, 287—290 de illo Castoris et Pollucis templo poeta dicat, versibus interpositis, ceterum bonis

*Quam parvo numeros implevit principis aeo*

*In patriam meritis occubuitque senex,*

de aetate Drusi, si res gestas respexeris, satis longa agitur, et nisi forte quod propter Germanos victos templum diis dedicaverit, in iis rebus habetur, quibus Drusus aetatem per se brevem satis longam fecerit, illos versus crediderim esse transpositos, quamquam non video, ubi possint ita immitti, ut non, quae inter se bene apta sunt, divellantur.

Simile aliquid, nisi fallor, in proximis versibus accidit. Nam quum in versibus 295—298 insint comitum Drusi lamentationes, versibus proxime antecedentibus non unius alicujus partis populi, sed communes omnium questus continentur. Itaque haud scio an rectius ii versus post versum 298 inserantur.

Denique quam flebilis ille Antoniae conjugii occiderit, poeta docet eamque ipsam alloquitur. Divulsos esse amoris ardentissimi vinculo conjunctos, inanes fuisse, quas uxor animo foverit, spes, similem Andromaches vel Evadnes eam nunc mortem sibi optare, nunc filios a Druso susceptos amplecti, nunc per somnum marito conjungi sibi visam, eo ardentiore experrectam absentis desiderio teneri (— v. 328).

Jam finita parte lugubri ad consolationem ipsam poeta transit. Sunt autem ejus solatia, quibus matris dolorem minuat ac molliat, haec:

Primum Drusum magno apud majores in inferis honore futurum esse (— v. 340). Tum ad Liviam conversus, moderatum dolorem decere illam dicit, cujus exemplum ceteri omnes suspiciant (— v. 356). Omnia Mortis imperio esse subjecta, ipsum etiam coelum, terram, mare (— v. 364). Maximum illum quidem fuisse, sed tamen mortalem, et incertum mortis tempus et importunam esse Fortunae dominationem (— v. 376). Ejusdem autem Fortunae, cujus jam sentiat saevitiam, antea benignitate Liviam usam esse (— v. 392). Denique audisse primum Liviam, non vidisse plagam sibi inflictam, nec in periculis filium versari ignorasse et prodigiis esse monitam (— v. 410). Postremo Tiberio ut fratris anni addantur et precatur poeta deos, et futurum id esse vaticinatur (— v. 416).

Tertia denique parte, ut moderate Livia dolorem ferat, poeta cohortatur. Atque ad eas admonitiones transitum sibi parat iis, quae leguntur inde a versu 417 usque ad v. 426. Quamquam enim ea solatia sint, tamen Liviam inedia mortem quaesivisse, et quominus perficeret, quod constituisset, nulla re, nisi mariti et filii precibus esse prohibitam.

Itaque eam suppressere jam lacrimas jubet, quibus filium non magis revocare possit, quam Hectorem conjux, filius, parentes, quam Achillem Thetis et nymphae Oceanides, Marcellum Octavia et Augustus revocare potuerint (— v. 444).

Postremo filium ipsum ex inferis emissum monere fingit, ne mater lugeat de morte sua, qua finiverit vitam brevem illam quidem, sed rerum gestarum gloria claram, et quae honesta sit quum honorum insignibus, tum funere et exsequiis (— v. 468).

Finitur carmen ea prece, ut salvus sit major filius, salvus maritus, quo sospite dedeceat domum ejus esse funestam (— v. 474).

Jam vero num in hoc carmine artem desideras, num consilium ac rationem? Num indignum tibi iis laudibus videtur, quibus extulerunt N. Heinsius, Valckenarius, permulti alii viri docti? Sunt sane duo loci, ubi oratio minus bene videatur procedere, sed ii vel aperte corrupti, vel turbati certe, et codicum depravatio accusanda et conquerenda, non poetae ingenium. Quid igitur est, quod Hauptius vituperet?

Primum, quod loco non aptissimo versibus 272—282 in Germanos poeta invehatur, deinde sine arte v. 283 ad priora redeat. At postquam versibus superioribus cecinit, illum virum tam praeclara indole, tantae spei, qui inventa in Germania morte jam uratur, tamen honore aeterno, ut qui pro patria occubuerit (v. 270), futurum esse; quid mirum, si Germanos, mortis hujus auctores, poenas daturos esse et vaticinatur et optat? Et videtur opponi, quod versu 270 legitur: *Causaque dicemur nos tibi Druse necis* i. e. diceris pro patria, pro civibus tuis occubuisse, iis quae sequuntur: *At tibi jus veniae superest Germania nullum*, ut sententiae ita cohaereant: honesta quidem mortis causa est, at qui effecerunt, ut ille moreretur, poenas dabunt.

Quod autem ad priora rediens poeta adjici jubet Ledaeos fratres, Ovidius saepe hoc imperativo ulitur, ut aliquid annectat, et illa formula paene adverbii vim habet. Cfr. Am. III, 9, 25; Fast. IV, 75; Met. IV, 182. Idem est apud Ovidii imitatore Sabinum Ep. III, 72.

Tum Hauptius offenditur, quod, quum inde a v. 299 usque ad v. 328 poeta allocutus sit Antoniam, quumque proxima quoque usque ad v. 340 ad eandem dicere putandus sit, jam quasi oblitus ejus, quacum tum maxime loquatur, ad Liviam conversus pergat v. 341: *Haec ipsum sublime ferent, haec optima mater Debuerant luctus attenuare tuos*. Tenendum autem est, non ad Antoniam, sed ad Liviam scriptum esse carmen, et si ad Antoniam poeta per apostrophem se convertat, eadem ratione id fieri, qua v. 19 Romanos, v. 67 Marcellum, v. 75 Drusum, v. 89 Tiberium, v. 271 Germaniam alloquatur.

Quae Hauptii crimina quum defensione egeant, mirum sane, si eam ob causam carmen Ovidianum esse negat, quod eadem saepe eodem modo in modico versuum numero repetat, in qua re saepissime Ovidium peccavisse jam Quinctilianus X, 4, 98 et Seneca Contr. XXVIII, f. dixerunt, ut in hoc ipso vitio hunc poetam agnoscas. Ceterum ea exempla, quibus crimen illud probare Hauptius studet, partim habent, quo excusentur. Nam quae sententia v. 1—6 poetae est, ea v. 149 et 150 Liviae tribuitur; quae v. 130 Livia, simile aliquid v. 193 unus de populo dicit. Exsecrationes autem, quales v. 182 et 450 sunt, et eae quidem verbis a se discrepantes, saepe ab Ovidio interponuntur. Cfr. Her. XVI, 217 *Hostibus eveniant convivia talia nostris*. Her. XX, 124 *Hostibus Sic sit ut invalida te solet esse mihi*. Am. II, 10, 17 *Hostibus eveniat vita severa meis*. Am. III, 11, 16 *Eveniat nostris hostibus ille pudor*. Fast. III, 494 *Eveniat nostris hostibus ille color*. Art. Am. III, 247; ex Pont. IV, 6, 35.

Denique exile poetae ingenium Hauptius in eo deprehendisse sibi videtur, quod descriptio Tiberini v. 224—226 *crinem Caeruleum magna legit ab ore mam, Uberibusque oculis lacrimarum flumina misit, Vix capit adjectas alveus altus aquas*, — ita ei placuerit, ut similiter, ne colore quidem caeruleo neglecto, diceret v. 435: *Illi caeruleum Panope matertera crinem Solvit et immensas fletibus auxit aquas*. Quae deorum marinorum descriptiones num sibi similiores sint, aliorum sit judicium; mihi quidem accusator videtur oblitus esse, adjectivum caeruleum esse epitheton perpetuum et deorum marinorum ipsorum et rerum omnium, quaecumque deorum maris et fluminum sunt. Ita Neptunus caeruleus deus est Fast. III, 874 *flebat Caeruleo junctam nescius esse deo*. Idem Met. I, 275 *caeruleus frater*, Thetis Met. XIII, 288 *caerula mater* vocatur; *caerulei dei* Met. II, 8; ex Pont. IV, 16, 22 sunt dei marini; *caerulus Nereus* est Her. IX, 14. *Tritoni caeruleo* (Met. I, 333) tribuuntur *caerulei equi* Her. VII, 50. *Caerula* est *coma* Tigris fluminis Art. Am. I, 224; *caerulei crines* Cyanes nymphae Met. V, 532; *caeruleae Arethusae guttae* Met. V, 633; *caerulum os* Acidis Met. XIII, 895; *caerula brachia* Glauci Met. XIII, 962; *caerulea barba* Protei Fast. I, 375. Cfr. etiam Virg. Aen. III, 432. Aliis locis color caeruleus mortis et orci est. Consol. 93. Virg. Aen. VI, 410. Cfr. Thiel. ad Virg. Aen. III, 64.

Ex omnibus illis locis simul certum quandam ac constantem deorum maris et fluminum apud poetas esse formam atque habitum apparebit.

Jam videamus, cur poeta oblivione ridiculus appelletur. Inde a versu 89 prae Liviae fortuna Tiberius praedicatur, qui extremo tempore fratrem moriturum viderit, pectus morienti affixerit, praesentia sua mortem fratri leniorem reddiderit, oculos ejus clauserit. Contra versibus 393—396 in solatiis refertur, quod Livia non suis ipsa oculis filium morientem viderit, sed quo vulnere sit afflicta, auribus primum acceperit. At alius certe dolor est, quem quis inde percipit, quod homini caro suprema pietatis officia praestare non potuerit, alius, qui ex re ipsa sentitur. De illo dolore loco superiore, de hoc infra dicit, et quanquam mortuis suprema praestitisse ipsum quoque magnum solatium est, tamen audito malo lenius commoveri animum, quam viso satis, constat et similia dicit Ovidius Her. IX, 120

*Et venit ad sensus mollis ab aure dolor.*

ex Pont. III, 4, 41

*Scilicet affectus similes aut impetus idem  
Rebus ab auditis conspicuisque venit?*

Cfr. Horat. A. P. 180

*Segnius irritant animum demissa per aurem,  
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, et quae  
Ipse sibi tradit spectator.*

Sequitur, ut de iis locis dicam, quibus contra verborum sententiarumque concinnitatem peccasse poeta arguitur. Ac primum quidem Hauptius mirum in modum erravit, quod v. 191 *Atque aliquis de plebe pius pro*

*paupere nato Sustulerat timidus sidera ad alta manus.* — non pauperem, sed in periculis versantem filium dicendum fuisse iudicat. Non enim hos versus opponi illis, qui paulo post sequuntur, animum advertit:

*Livia non illos, pro Druso Livia movit,*

*Nos erimus magno maxima cura fovi?*

Pius de plebe opponitur Liviae, pauper natus Druso, et omnis concinnitas tolleretur, si pro paupere nato diceretur aeger, vel alii alicui periculo objectus, nam Drusus quoque, quum Livia pro eo deos precaretur, in periculo erat, nec omnino, nisi pro iis, quibus timemus, vota concipiuntur. Sententia igitur haec est: Si ne Livia quidem, Caesaris Divi conjux, si pro Druso precata, principe filio, deos non movit, num de plebe homini pro salute filii in exigua fortuna collocati precanti eos benigniores futuros esse probabile est? Atque domum Augustam singulari esse diis curae, non uno loco poeta dicit.

Difficilius est, usum superlativi maxima cura, pro quo exspectes comparativum, excusare. Defensor aliquis dixerit, magnae diis esse curae Liviam precantem, majori precantem pro Druso filio, quod si dei alios plus etiam curent, eam curam certe esse maximam. Sed hoc argutius, quam verius dicitur; concedendum potius, poetam minus accurate dixisse. Ita Ciceronem ipsum interdum superlativo uti, ubi comparativus rectius locum haberet, docuerunt Halm. ad Cic. p. Sull. § 13; Matth. ad Cic. p. Sest. § 44.

Deinde sententiarum concinnitatem Hauptius desiderat in versibus 301 et 302

*Par bene compositum, juvenum fortissimus alter,*

*Altera tam forti mutua cura viro.*

Nam quum in hexametro Drusus dicatur fortissimus, convenire pentametro Antoniae, conjugis virtutes, pudicitiam, pulchritudinem laudari. Et ita fecit Ovidius loco simillimo Met. IV, 55

*Pyramus et Thisbe juvenum pulcherrimus alter,*

*Altera, quas oriens habuit praelata puellis* —

et aptius hoc quoque loco certa aliqua Antoniae laus cum fortitudine Drusi conjungeretur; sed tamen nonne id quoque in laudibus est, mutuae curae fuisse, sive tanto tam placuisse viro?

Denique nec sine justa causa Hauptius in hoc disticho haesit v. 457 et 458 *Consul et ignoti victor Germanicus orbis (Cui fuit heu mortis publica causa) legor.* Quid enim ineptius, quam qui consolari matrem de morte sua videri velit, eum suam ipsum mortem cum ejulatione dolere. Primum autem tenendum, posterioris aevi poetas cuicumque exclamations, quae aut tristem rem aut singularem insolentiam aut admirabilem magnitudinem designaret, aut indignationem efferret, ex animo graviter affecto praefigere solitos esse heu (Hand. Tursell. T. III, p. 67). Sed totus locus esse corruptus videtur. In libris enim est: *Qui fuit heu mortis publica causa* i. e. orbis ignotus fuit heu mortis publica causa, quae lectio si staret, ea verba non Drusi, sed ipsius poetae essent. Lipsius correxit cui, idque receperunt recentiores editores, quos viderim, omnes. Pro interjectione heu autem legerim vel en, ut Bentlejus pro heu scripsit Lucan. V, 354, vel et, ut delenda sint parenthesis signa ab Hauptio posita, et tria sint, quibus Drusi nomen illustretur, quod consul, quod Germanicus, quod pro patria mortuus dicitur. Cfr. v. 269, 270 *Stabis et in rostris tituli speciosus honore, Causaque dicemur nos tibi Druse, necis.*

Haec ex compositione atque ingenio carminis Hauptius petivit argumenta, quibus illud Ovidii non esse demonstraret. Quae quam sint levia, neminem puto fugit; videamus, num firmiora, vel certe probabiliora sint, quae postea disputavit de re metrica. Nam consolationem secundum leges quasdam metricas examinavit, quibus Ovidium in versibus faciendis se obstrinxisse Lachmannus docuerit. Cujus librum quum ipse non viderim, quae Hauptius inde petivit, afferam. Sunt autem illae leges haec:

Ovidium vocabulorum jambi pedis mensura comprehensorum vocalique littera finitorum hanc ultimam vocalem in elegiacis carminibus nunquam cum subjecta vocali conjunxisse. Hujus autem synizeseos exemplum legitur in epicedii versu 375 *Regna deae immitis parce irritare querendo.*

Tum syllabas breves in consonam exeuntes nisi duabus certis condicionibus ab Ovidio productas non esse, i. e. subsequente aut vocabulo Graeco, aut ex his conjunctionibus alterutra, quae sint et, aut, post caesuram in tertio hexametri pede. Contra hanc legem peccatum est in Consolationis v. 163 *Miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa.*

Denique ante relegationem ab Ovidio versus pentametros vocabulis monosyllabis nunquam esse finitos, id quod fecit epicedii auctor v. 122. 124 *ubi es,* v. 426 *ope es.*

Jam, prima quidem illa regula neglecta, saepissime jambum vocali producta vel diphthongo terminatum sequitur verbum est. Taeduit omnia illa exempla notare, taedet notata omnia huc adscribere; id unum exemplis docebo, post omnes vocales praeter vocalem e et in elegiacis carminibus et in metamorphoseon libris id fieri. Sua est Her. XVI, 146; Fast. VI, 258; Trist. II, 414; V, 8, 18; Met. VI, 590. Fuga est Met. V, 169. Mora est Fast. IV, 610; cibi est Met. VIII, 844; loci est ex Pont. IV, 14, 36; dolo est Her. II, 74; loco est Fast. IV, 507; Met. I, 681; Fast. V, 22; solo est Met. V, 496; sono est Met. V, 193; Trist. V, 2, 68; manu est ex Pont. IV, 1, 14; deae est Ib. 378 (Merk.). Quam rem Lachmannus quum ignorare non potuerit, fortasse in his exemplis non elisionem, sed synecphonesin quandam agnosceret. Rara sunt alia exempla, sunt tamen. Equidem inveni haec: *seque viro inspirat* Met. VIII, 821; *metu et* Met. XIII, 74; *late*

et Met. XIII, 79. Quod autem hi versus in epico, non in elegiaco carmine leguntur, id tam diu casu factum esse contendam, donec Lachmannus docuerit, eum usum ab elegiaci carminis ingenio esse alienum, ab epico non esse.

Idem fere fit in altera regula. Saepissime syllaba extrema in compositis verbi eundi producitur. Id factum est in forma rediit his locis: *ut rediit animus* Her. VI, 31; XIII, 29; Art. Am. III, 707; Fast. III, 333; V, 515. *In liquidum rediit aethera* — Rem. 6. *Attonitusque metu rediit, ut saepe viator*, Fast. II, 341.

*Abiit: Ut monuit, cum voce abiit, ego territa surgo* Her. XV, 173; *modusque abiit insanaque regnat Erinys*. Met. XI, 14; Fast. III, 474; IV, 721.

*Adiit: Non adiit apte* Met. IX, 611.

*Interiit: Interiit, at vos* — Met. III, 546.

*Periit: Qua periit aliquis* Am. III, 8, 17; *Proditor ut sacri periit auriga tyranni* Ib. 369.

*Praeteriit: Nec quae praeteriit iterum* — Art. Am. III, 63.

*Subiit: Sub Iove mundus erat, subiit argentea proles* Met. I, 114; Met. VII, 170.

Sed idem interdum in aliis verbis occurrit. Ita Her. IX, 141 *Semivir occubuit in letifero Eveno*; Am. III, 5, 30 *Et petiit herbae*.

Similiora Consolationis illi versui, quo Hauptius offensus est, sunt haec exempla: *Hos populos potius in dotem ambage relicta Accipe* Her. VII, 149, ubi Heinsius cum paucis codicibus verborum ordine mutato legit: *Hos potius populos, et Vulnus erat nullum, sanguis erat ille Menoetae* Met. XII, 127, ubi Jahn. ex paucis codicibus recepit fuit, denique *Et sub ea versus unus et alter erit* Her. XV, 182. Omisi ea exempla, ubi secundum Lachmanni regulam sequitur vel conjunctio et vel vocabulum Graecum.

De tertia illa regula brevior esse possum, nam praeter ingentem numerum pentametrorum, qui verbo est cum praecedente vel jambo vel pyrrhichio per elisionem conjuncto terminantur, illud ipsum ubi es, in quo Pseudo-ovidium deprehendisse Hauptius sibi visus est, legitur Fast. IV, 456 *Nec mora, me miseram, filia, dixit, ubi es?* Quod nisi Hauptius docuerit, illum Fastorum versum in iis esse, quos post relegationem poeta vel mutaverit vel adscripserit, nihil illa regula Lachmanniana in hac disputatione efficietur. Nam si ubi es Ovidianum est, ne alterum quidem, quod v. 426 legitur, ope es alienum ab eo erit.

His argumentis Hauptius postquam Consolationem carminum Ovidianorum e numero ejecit, omnibus iis locis, in quibus vel mens Ovidii spirat, vel oratione Ovidius prodi videtur, imitatore Ovidii agnoscit, et id iudicium eo firmari putat, quod etiam alios poetas epicedii auctor secutus sit. Quam ob rem, ut quanta sit illa carminum Ovidianorum et hujus epicedii similitudo melius cognoscatur, omnia et quae Hauptius collegit et quae mihi videntur Ovidiana, versuum ordinem secutus, componam.

v. 1—6. Non accusaverim, quod poeta, quae materia est elegiae, in ipso principio ejus uberius expressit; sed Ovidium nescire, quod bene cessit, relinquere, quae Senecae sunt verba, aliis exemplis satis probatur. Cfr. Her. II, 27—30; Met. VI, 280—282; VII, 144—146; VIII, 284—286; IX, 176—178.

v. 3. miserabile carmen. Met. V, 118; VI, 582; Am. III, 9, 9.

v. 7. et quisquam. Indignationis formula quum apud alios scriptores, tum apud Ovidium usitatissima. Am. III, 3, 33; III, 8, 1; Rem. 523. Ad rem cfr. Rem. 127 et 128.

v. 11. scilicet. Cum ironia et acerbitate quadam dictum. Her. III, 55; V, 58; XIII, 37; XVII, 5; Met. III, 647.

v. 14. Maximus ille armis, maximus ille toga. Ovidius libenter utramque partem pentametri eodem vocabulo vel iisdem vocabulis incipit. Her. II, 40 *Altera tela arcus, altera tela faces*. Her. IV, 44 *Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis*. Her. XIII, 166 *Sit tibi cura mei, sit tibi cura tui*. Her. XIV, 92; XV, 40, 54 *Nisiades matres Nisiadesque nurus*. Cfr. Consol. ad Liv. *Ausoniae matres Ausoniaeque nurus*. Her. XV, 184; Am. III, 6, 48; III, 9, 32; Fast. I, 68, 92; IV, 408; V, 140, 142; Trist. III, 11, 36; IV, 2, 38; IV, 7, 16; V, 4, 2; ex Pont. II, 7, 66; III, 4, 112.

v. 16. titulum belli — tulit. Her. XV, 190 *An potes — titulum mortis habere meae?*

v. 20. Protulit in terras imperiumque novas. Saepissime conjunctio que annectitur ei vocabulo, quod est in pede penultimo pentametri. Ita Consol. ad Liv. 286; Her. VIII, 108; IX, 34; XI, 40, 84; XVII, 84; Am. III, 10, 12; Art. Am. I, 22, 116; III, 22, 304; Rem. 502; Fast. I, 44; III, 16, 128, 562, 602; IV, 354; V, 92; VI, 84; Trist. I, 1, 66; IV, 1, 34; V, 7, 66; V, 10, 40; ex Pont. I, 8, 56; I, 9, 14; II, 1, 6; III, 9, 18.

v. 24. jusque piumque. Her. VIII, 4; Art. Am. I, 200; Trist. I, 2, 96 (ubi alii habent: fasque piumque). Ad rem cfr. Trist. IV, 2, 7.

v. 26. Forsitan et curae jam tibi currus erat. Cfr. ex Pont. III, 4, 95 *Quid cessas currum pompamque parare triumphis Licia?* Ceterum multi versus Ovidiana ab his verbis incipiunt. Her. I, 77; VII, 133; IX, 131; X, 85; XII, 175; XV, 5; XXI, 225; Am. II, 6, 28; III, 8, 21; Art. Am. I, 483; II, 525; III, 339, 438; Fast. II, 384; Trist. III, 1, 75; Met. VIII, 365; IX, 610.

v. 32. Jam mihi pro Druso dona ferenda meo. Ita Penelope felices praedicat uxores pro maritis domum reversis dona ferentes Her. I, 27.

- v. 36. sic prior ipsa loquar. Her. XII, 72 *sic prior ore loqui.*
- v. 39. Caesaris illud opus. Drusus ab Augusto educatus ejus opus vocatur. Ita ex Pont. IV, 1, 36  
*Vindicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;*  
*Ut similis verae vacca Myronis opus;*  
*Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum,*  
*Tutelaque feror munus opusque tuae.*
- Ovidius se opus tutelae Sexti Pompeji, a quo servatus est, appellat.  
 Voti pars altera vestri. Sic Fast. V, 459 de Remo est:  
*En ego dimidium vestri parsque altera voti.*
- v. 40 indignas Livia solve comas. Am. III, 9, 3 *Flebilis indignas Elegeia solce capillos.* Met. I, 508; IV, 138.
- v. 41. quid tibi nunc mores prosunt. Am. III, 9, 33.
- v. 42. tanto tam placuisse viro. Trist. II, 140 *Nulla gravior poena est, quam tanto displicuisse viro.*
- v. 43. bona sunt virtutes, ut hoc loco, ita Her. XVII, 134 *Nec te Palladios, nec te Junonis honores*  
*Auditis Helenae praeposuisse bonis;* Met. XIII, 139 *bona nec sua quisque recuset.*
- v. 46. Paene iisdem verbis legitur Fast. I, 300 *vitiisque locisque Altius humanis exseruisse caput.*
- v. 48. nervos i. e. vires. Ita Am. I, 1, 18 *Cum bene surrexit versu nova pagina primo, Attenuat nervos proximus ille meos.*
- v. 49. campoque foroque Am. III, 8, 57 *campusque forumque.*
- v. 50. citra constituisse domum Met. X, 607 *nec virtus citra genus est.* Cfr. Trist. II, 127; V, 8, 23; ex Pont. I, 7, 55; Art. Am. III, 757.
- v. 52. Fortuna incerta nixa est rota. Talis Fortuna describitur ex Pont. IV, 3, 32 *Haec dea non stabili quam sit levis orbe fatetur, Quem summum dubio sub pede semper habet.*
- v. 54. injustum jus. Idem oxymoron legitur Trist. V, 10, 43. Similia apud Ovidium sunt Met. I, 433 *concordia discors;* Met. II, 627 *injustaque justa peregit;* Met. VIII, 477 *impietate pia est.*
- v. 59. Caesaris adde domum. Hoc imperativo quum alii scriptores utuntur, tum Ovidius hanc formam ad aliquid novi transeundi amat. Her. VI, 99; XVII, 199. Am. I, 14, 13; II, 7, 22; Art. Am. II, 675; III, 82, 539; Fast. III, 143, 245; VI, 49, 663; Trist. I, 5, 79; II, 135; V, 10, 43; V, 12, 21; V, 14, 15; ex Pont. I, 2, 25; I, 7, 31; II, 2, 75, 77; II, 9, 47; II, 11, 23; III, 1, 25; III, 2, 103; III, 4, 45; III, 6, 35; IV, 10, 45; IV, 11, 21; IV, 14, 45; Met. II, 70; XIII, 117, 854; XIV, 684.
- v. 69. vix-bene janua clausa est. Hanc quoque formulam, qua res rem celerrime sequi dicitur, Ovidius adamavit. Her. VI, 24; VII, 90; XI, 108. Met. II, 47; III, 14; VII, 774; XIII, 944; XIV, 753; XV, 669; Fast. V, 278; VI, 513.
- v. 71. lacrimas dare Her. III, 15; XIII, 113; Am. I, 7, 60; Rem. 129; Met. IV, 117; XI, 669, 720. XIII, 490, 622.
- v. 79. tot turba bonorum Hauptius dubitavit, num recte pro virtutum multitudine dicatur. Sed bona aliis locis virtutes esse, supra ad v. 43 docui; hoc loco autem sunt dona naturae; turba autem, quod substantivum Ovidius amat, ut hoc loco legitur Rem. 461 *Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?* Trist. V, 6, 41 *Tam me circumstant densorum turba malorum.* Her. II, 75; Fast. I, 42.
- v. 83. Heu, par illud ubi est. Heu saepe ita apud Ovidium cum interrogationibus, quae exclamationis vim habent, coniungitur. Her. IV, 150; V, 120; VI, 41; Am. II, 4, 6; Fast. V, 465.
- v. 86. Squallida promissa flere per ora coma. Trist. IV, 2, 34 *Squallida demissis qui tegit ora comis.* (Alii: *promissis.*)
- v. 88. hei mihi sequente vel interrogandi vocabulo, vel conjunctione *quod*, vel in similibus sententiis locis prope innumerabilibus apud Ovidium est.
- v. 89. Tu tamen moriturum fratrem vidisti, lacrimas vidit et ille tuas. Her. X, 109 *Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo.*
- v. 101. liquitur, ut solvuntur tenerae vere tepente nives. Her. XIII, 52 *More nivis lacrimae sole madentis eunt.*
- v. 105—112. Ut auctor Consolationis, ita Ovidius quoque ad rem illustrandam similia exempla ex fabulis maxime petit. Ita haec ipsa Daulias ales exemplum luctus est Her. XV, 154 *Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.* Am. III, 12, 32 *Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn.* Fast. IV, 484 *Ut amissum quum gemit ales Ityn.* Am. II, 6, 10; II, 14, 30; Trist. II, 390. Ita aliis locis Meleagri sorores, Phaethontis mater et sorores, Halcyone, quas easdem hoc loco epicedii auctor affert, commemorantur.
- v. 109. novis plangentes pectora pennis Oeniden subitae concinuistis aves. Met. I, 554. (Daphne in laurum mutata) *Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus.* Met. I, 640. V, 674; ex Pont. I, 2, 34. Trist. II, 389 *Fecit amor subitas volucres cum pellice regem.* Her. XII, 98; Ib. 274; Met. II, 349; XI, 341; XIV, 508.

- v. 115. lacrimae gravant gremiumque sinusque. Cfr. Her. X, 138 *adspice tunicas lacrimis sicut ab imbre graves.*
- v. 119. flebilis = quae flet. Her. XX, 108 (Niobe) *flebilis adstat.* Am. III, 6, 68 *Spargebat tepidos flebilis imbrē sinus.* Am. III, 9, 3 *flebilis Elegeia.*
- v. 120. Singultu medios impediēte sonos. Idem versus legitur Trist. I, 3, 42.
- v. 122. Gloria confectae, nate, parentis, ubi es? Cfr. Fast. IV, 456, ubi Ceres filia orbata similiter queritur: *me miseram, filia, dixit, ubi es?*
- v. 121—124. Ad formam rhetoricam, quae est in his quatuor versibus, cfr. Trist. III, 12, 13—16.
- v. 130. Jam dubito, magnos an rear esse deos. Am. III, 9, 35 *Quum rapiunt mala fata bonos, Sollicitor nullos esse putare deos.* Met. IX, 203.
- v. 132. Quos ego non potui demeruisse deos? Her. II, 28 *Crimine te potui demeruisse meo.* Art. Am. II, 252 *Nec tibi sit servos demeruisse pudor.* Cfr. devenerari Her. II, 18; delamentari Met. XI, 331.
- v. 135. Tene sustineo videre? Her. V, 32 *Sustinet Oenonen deseruisse Paris.* V, 52; Am. I, 7, 49; I, 14, 53; II, 9, 40; III, 11, 9.
- v. 138. Effingoque manus. Her. XX, 134 *Effingoque manus.* Her. XX, 137. Cfr. Fast. V, 409.
- v. 140. Sic mihi, sic miserae nomina tanta refers? Met. XI, 727 *Sic, o carissime conjux, sic ad me miserande redis?*
- v. 165. lacrimae sua verba sequuntur. Her. XIV, 67 *lacrimae sua verba sequuntur.* Her. XX, 76 *Et liceat lacrimis addere verba suis.* Cfr. Met. X, 506 *neque habent sua verba dolores.*
- v. 174. heu facinus. Art. Am. I, 751; Am. I, 6, 22.
- v. 177. fractis fascibus. Cfr. Am. III, 9, 8 *Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram Et fractos arcus et sine luce facem.*
- v. 191. Atque aliquis de plebe. Saepe hac forma Ovidius utitur, ut uno aliquo ex multitudine, tanquam exemplo ceterorum, qui idem fecerunt, ante oculos posito, legentes rem, quasi, dum agitur, intueantur, non actam narrari audiant. Her. I, 31 *Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa.* II, 83; VI, 101; Am. II, 1, 7; II, 10, 37; III, 15, 11; Art. Am. I, 249; III, 344; Met. IV, 187; Fast. III, 283; V, 654. Trist. V, 3, 49; ex Pont. IV, 13, 37. Cfr. Art. Am. II, 585; Fast. I, 355; II, 75; VI, 113.
- v. 204. Ausoniae matres Ausoniaeque nurus. Trist. II, 23 *Ausonias matresque nurusque.*
- v. 221. Tiberinus sustulit et medio nubilus amne caput, tum implexum arundine crinem legit ab ore. Fast. V, 637 *Tibris arundiferum medio caput extulit alveo.* Cfr. Art. Am. I, 223. Met. XIII, 894.
- v. 226. Vix capit adjectas alveus altus aquas. Fere iisdem verbis legitur Am. III, 6, 86 *Nec capit admissas alveus altus aquas.*
- v. 227. rogi flammam exstinguere fluminis ictu. Ita ictus, in quo vocabulo et Hauptius et alii haeserunt, de repentino aquae impetu est Met. IV, 124 *Non aliter, quam quum vitiato fistula plumbo Scinditur et tenui stridente foramine longas Ejaculatur aquas atque ictibus aëra rumpit.*
- v. 232. tot dixit verba Met. IX, 29 *Verbaque tot reddit.*
- v. 241. Remus Iliades. Am. III, 4, 40.
- v. 244. ex istis, quod petis alter erit. Cfr. Fast. I, 378.
- v. 246. Hos debet solos Martia Roma deos. Art. Am. I, 193 *Tale rudimentum tanto sub nomine debes.* Met. XV, 444 *Urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes, quanta nec est, nec erit.*
- v. 252. Structa pumice tecta subit. Cfr. Met. VIII, 562.
- v. 255. Silvae pro lignis dicuntur etiam Met. XII, 519. 523.
- v. 264. Iste rogi miserae viscera matris habet. Viscera matris sunt liberi. Her. XI, 90. 148; Met. VI, 651; VIII, 478; X, 465.
- v. 265. operosa gloria. Her. II, 63.
- v. 268. se opus ingeniis dabit. Am. I, 1, 24 *Quodque canas, vates accipe, dixit opus.* Am. III, 1, 6; Fast. IV, 8 *Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.* Cfr. Am. II, 17, 34 *Ingenio causas tu dabis una meo.*
- v. 272—282. Quae hoc loco de Germanis poeta vaticinatur, similia Ovidius Art. Am. I, 179. 180 et 215. 246 de Parthis. Cfr. etiam Trist. III, 12, 47—50. IV, 2, 21. 22. 43—46.
- v. 284. Templaque Romano conspicienda foro. Fast. V, 552 *Templaque in Augusto conspicienda foro.*
- v. 296. pia turba. Fast. II, 507; Trist. V, 3, 47. Cfr. Am. I, 1, 6.
- v. 302. Altera tam forti mutua cura viro. Fast. II, 730 *Conjugibus nostris mutua cura sumus?*
- v. 311—314. Ita saepius Ovidius duces ac viros fortes domum reversos res a se gestas conjugibus narrantes facit. Her. I, 30—36. Cfr. Her. XIII, 118 sqq.



- v. 318. attonita manu Art. Am. I, 538; Fast. III, 864.  
 v. 320. Terruit admissos sanguinolentus equos. Her. I, 36 *Hic lacer admissos terruit Hector equos.*  
 v. 329. Ut in Consolatione Drusum ad inferos descendentem excipiunt majores honoribus aucti, ita Tibullum poetae Am. III, 9, 59—64. Cfr. Trist. IV, 10, 85.  
 v. 332. quadrijugis aureus ibit equis. Art. Am. I, 214 *Quattuor in niveis aureus ibis equis.*  
 v. 344. Principibus natis principe digna viro. Ex Pont. IV, 13, 30 *Ambiguum nato dignior anne viro.* Cfr. Trist. II, 162.  
 v. 359. Tendimus huc omnes metam properamus ad unam. Met. X, 33 *Serius aut citius sedem properamus ad unam, Tendimus huc omnes.*  
 v. 362. Casurumque triplex vaticinatur opus. Idem versus est Trist. II, 426.  
 v. 363. I nunc et in te solam oculos refer. Haec forma insultantis et increpantis Ovidio usitatissima est. Her. III, 26; IV, 127; IX, 105; XII, 204; XVII, 57; Am. I, 7, 35; Art. Am. II, 222. 635; Met. XV, 364; ex Pont. I, 3, 61.  
 v. 385—392. Rerum ab Augusto et privignis ejus gestarum saepius mentio fit. Cfr. Trist. II, 225—230; IV, 2, 41 sqq; ex Pont. II, 2, 77—80. Ceterum descriptio Rheni et Itargi similis est ei, quae legitur Trist. IV, 2, 42; ex Pont. III, 4, 108.  
 v. 392. Aspice. Hoc imperativo animum adverti saepe Ovidius jubet. Her. XV, 98; VII, 42; Am. I, 8, 34; I, 13, 43; II, 7, 15; III, 9, 9; III, 13, 8; Art. Am. I, 315; Fast. I, 104; ex Pont. I, 4, 23; III, 2, 92.  
 v. 401—410. Similia prodigia, atque ea sunt, quibus Drusi mortem dii portenderint, in Caesaris nece facta esse dicuntur Met. XV, 782—790.  
 v. 413. Et vivat nato cum sene mater anus. Trist. II, 166 *Imperium regat hoc cum seniore sene.*  
 v. 416. a Druso cetera laeta dabit. Ex Pont. IV, 5, 26 *a magnis hunc colit ille deis;* ex Pont. IV, 15, 4 *a superis hic mihi primus erit.* Fast. IV, 32.  
 v. 425. 426. Saepissime Ovidius anaphora in principio hexametri et pentametri ulitur.  
 v. 425. meritum pervenit ad omnes. Met. XIII, 181 *dolor pervenit ad omnes.*  
 v. 429. Hectora tot fratres tot deflevere sorores Fast. V, 179 *Mater Hyan et Hyan moestae flevere sorores*  
 v. 433. populator Achilles Met. XII, 593; XIII, 655.  
 v. 444. fila renenda. Fast. VI, 757 *fila reneri.*  
 v. 447. Quid numeras annos, vixi maturior annis. Art. Am. I, 183 *Parcite natales timidi narrare deorum, Caesaribus virtus contigit ante diem. Ingenium coeleste suis velocius annis surgit.*  
 v. 471. Est tibi sitque precor — Her. I, 111; Trist. I, 10, 1; Fast. VI, 219.  
 v. 472. Parsque tui partus sit tibi salva prior. Ex Pont. II, 8, 48 *Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus Pars fuerit partus sola caduca tui.*  
 Permulta in hoc, de quo agitur, carmine esse Ovidiana ex hac tabula satis apparuerit. Unde si totum carmen esse Ovidii non recte colligatur, tamen non minus inconsultum sit eorum iudicium, qui eam ipsam ob causam originem Ovidianam negent. At integros vel paene integros versus ab Ovidio mutuatus est epicedii auctor; num se ipse compilavisse Ovidius putandus est, cujus poetae ingenium luxuriae potius quam tenuitatis atque inopiae accuset? Sed haud scio an in Ovidium cadat, quod fit in nostris hominibus, quorum tam prompta sunt ingenia, tanta exercitatio, ut ex tempore magnum numerum versuum fundant et de se gloriari possint, quod Ovidius, versum esse, quidquid dicant. Magnam homoeoteleutorum et locutionum poeticarum copiam memoria tenent, ut saepe non sententiam verba, sed verba sententia videatur sequi. Ita Ovidius quoque habet constantem quandam carminum componendorum rationem ac certum stilum, minus illum ex rebus, quas canit, quam ex ipsius ingenio, natura, moribus aptum. Eam ob causam carmina ejus inter se similia sunt, quam ceterorum poetarum, ut ipse de se canat ex Pont. IV, 13, 13. 14 *Et mea Musa potest, proprio deprensa colore, Insignis vitiiis forsitan esse suis;* et Trist. I, 1, 61. 62 de libello suo: *Ut titulo careas, ipso noscere colore, Dissimulare velis, te liquet esse meum.*  
 Inde etiam fit ut non solum versuum partes, sed integros versus Ovidius saepe repetat. Exemplis rem probabo.  
 Fast. VI, 108 *Nequicquam multis saepe petita precis.*  
 Trist. I, 376 *Dum vir abest multis una petita precis.*  
 Met. XIII, 873 *Quam ferus ignaros nec quicquam tale timentes —*  
 Trist. III, 9, 24 *Protinus ignari nec quicquam tale timentes.*  
 Cfr. Fast. II, 391 et VI, 401; Her. IV, 1 et Met. IX, 530; Met. XIII, 479. 480 et Fast. II, 833. 834; Met. XIII, 507 et Her. I, 51; Trist. I, 1, 17 et ex Pont. IV, 5, 11; Fast. III, 549. 550 et Her. VI, 195. 196. Praeter ceteros autem locos comparentur, quae de Daedali fuga narrantur Art. Am. II, 35—96 et Met. VIII, 183—235; non solum universas fabulas, sed etiam singulas partes ita inter se consentire invenies, ut paene nihil a poeta mutatum videatur, nisi quod metrum cogeret.

Quod si non recte Liviam consolatus esse Ovidius eam ab causam negatur, quod in illo carmine integri versus Ovidiani inveniuntur, non gravius illud argumentum est, quod auctor epicedii Virgilium, Tibullum alios vel est, vel videtur esse imitatus. Nam id ipsum Ovidius quoque fecit.

Ita Ovidius in iis, quae Her. VII et Fast. III inde a versu 545 de Didone narrat, aperte Virgilii Aeneidis librum primum et quartum, quae de Hecuba, Memnone, Anio, Scylla Met. XIII canit, Aeneidis librum tertium secutus est. In versibus Met. XIII, 731. 732 *Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis Infestant, vorat haec raptas revomitque carinas*, facile agnoscas Aeneidis libri III, v. 423 sqq. *Dextrum Scylla latus laevum implacata Charybdis Obsidet atque — Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras Erigit.* — Cfr. Virg. Aen. III, 80 et Met. XIII, 633; Aen. III, 96 et Met. XIII, 677; Aen. III, 594 et Met. XIV, 166; Aen. VI, 285 et Met. XIV, 414.

In Tibulli vero elegiarum libro tertio versus quidam leguntur, qui iidem sunt apud Ovidium, vel certe Ovidianis tam similes, ut dubium non sit, quin Ovidius illum poetam secutus sit. (Tibull. III, 5, 18, Ovid. Trist. IV, 10, 6; Tibull. III, 5, 19—20, Ovid. Am. II, 14, 23—24; Tibull. III, 5, 16, Ovid. Art. Am. II, 670). Si vero, ut editores doctissimi censent, liber tertius elegiarum, quae Tibulli esse feruntur, perverso iudicio illi poetae tribuitur; tamen inde, quod dubitatum est, an Ovidii ille liber tertius esset, multa Tibullo cum Ovidio esse communia apparet.

Itaque ne iis quidem, quae Hauptius de Consolationis auctore Ovidii, Virgilii, Tibulli imitatore disputavit, Ovidium eum auctorem non esse probatur. Jam si in Consolatione inveneris, quae eadem vel in aliis Ovidii ipsius carminibus multo post Drusi mortem scriptis, vel apud posteriores poetas legantur; quo tandem iure contendere poteris, esse haec exempla, quae Consolationis scriptor secutus sit, nisi qua ratione auctor ab imitatore discernatur, ante docueris? Nam, ut exemplo utar, epicedii versum 120 ex Tristium I, 3, 42, non hunc Tristium versum ex epicedio petiit esse, quo tandem indicio cognoscetur? Ea autem via Hauptius inaccessit, ut carmen illud ex Augusti aetate depelleret.

Priusquam vero de ea re disputem, in qua totius quaestionis quasi cardo versari videtur, quid de Senecae locis statuendum sit, quibus ille Polybium vel Marciam consolaturus huic poetae vel exemplo fuit, vel exemplo ejus usus est, brevi de iis versibus dicam, ubi Hauptius aetatem barbaram et quae longe abesset ab antiquitatis sensu communi et prisca temporis consuetudine agnoscere sibi visus est.

Ac primum, quod v. 393 legitur: *Adde quod est absens functus*, absolute pro eo, qui est morte functus vel fato functus, ut est Met. XI, 559 et 583, quamquam Augusti aetate dictum esse exemplis probare non possum, tamen apud scriptores aevi proxime insequentis invenitur, et vestigia certe ejus usus sunt etiam apud Ovidium, qui Am. I, 8, 108 scripsit: *saepe rogabis, Ut mea defunctae molliter ossa cubent.*

Deinde quod Hauptius latinum esse negat *fortunam habuisse nocendi* (v. 47), pro qua facultas dicenda fuerit, id tanti esse non putaverim; poeta enim hoc vult: nec nocuisse ulli, quamquam in ea fortuna collocata sis, qua possis nocere. Nervos autem, qui versu proximo leguntur, ab Ovidio pro viribus dici, supra docui.

Ibi etiam de versibus 75 et 76 et 79 expositum est. Quod autem versu 108 est: *Halcyonum questus Ad surdas tenui voce sonantur aquas*, ut nullo exemplo satis apto probari possit, tamen ab ingenio linguae Latinae alienum non est. Notum enim est, apud omnes Graecos, Latinos autem et poetas et posterioris aetatis scriptores cum quovis verbo ut objectum eam vel rem vel actionem conjungi, quae verbo ipso efficiatur, ut nemo haereat in Virgiliano *rauca sonare* i. e. raucos sonitus sonare, vel Ovidiano Met. XV, 606 *tale sonat populus* i. e. talem sonitum sonat, nec Hauptius ipse de illo dubitaverit, quod epicedii auctor v. 446 cecinit: *forti verba tot ore sonet.* Quod si nemo in sonando questus iure offendat, ne passiva quidem constructio recte vituperatur. Cfr. Haasium ad Reisig. lectiones de doct. gr. lat. p. 691 et Weissenborn. gr. lat. § 276 ann. 2.

Tum perversum Hauptius iudicat, quod v. 220 *vox adversis collibus icta redire* dicatur, quum icantur colles, vox repercutiatur. At cfr. Liv. XXI, 33, 6 *equi infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos emora etiam percussaeque valles augebant, territi trepidabant.* Apparet autem rectius vocem ad colles appulsam, collibus ici, quam valles percipi dici posse.

De ictu fluminis (v. 227) et quod Hauptius latine dictum negat v. 232 *Mavors Tot dixit siccis verba neque ipse genis*, qui usus adjectivi tot etiam v. 446 invenitur, supra disputavi.

Sequitur vitium grammaticum, quod poeta v. 275 forma soloeca *ferocum*, pro qua dicendum esset *ferocium*, usus sit. Cur autem *ferocum* intolerabilius sit, quam *coelestum*, quod Fast. IV, 423, vel *agrestum*, quod Met. XIV, 635 legitur, non video.

Soloecum etiam esse perhibetur, quod v. 319 poeta dicat: *Hoc fuit Andromache*, et duobus versibus post: *Hoc fuit Evadne.* At cfr. Her. XII, 25 *Hoc illic Medea fuit, nova nupta quod hic est*, et Trist. V, 14, 28 *Id demum est pietas, id socialis amor.*

Quod autem v. 339 et 340 *Vix credent tantum rerum cepisse tot annos, Magna rati latum quaerere facta locum*, tot anni pro paucis annis dicuntur, quum universa natura demonstrativorum, quae prout id, quod demonstratur, vel magnum vel parvum est, ipsa vel augent rem, vel elevant, ut Her. VII, 45 *non ego sum tanti* i. e. tam parvi, tum illo Metamorphoseon loco supra allato IX, 29 excusatur, ubi *tot verba reddit*, idem est,

quod non plura verba reddit. Denique ex Pont. IV, 10, 24 *Nec vincet saecum Cyclops feritate Phycen, Qui quota terroris pars solet esse mei*, quota pars est quam parva pars.

Quae deinde sequuntur, leviora sunt. Sic v. 355: *An melius per te virtutum exempla petemus*, insolentius quidem poeta cecinit, sed tamen ita cecinit, ut habeat explicationem. Id enim voluit: an quae virtutes imitandae nobis sint, melius per te et investigabimus et cognoscemus, quam si principis Romanae edis opus?

Denique nihili est, quod in conjunctione sententiarum per particulam tamen facta (v. 377), ubi tametsi ille poscit, vituperatur. Poeta enim postquam antea de importuno et iniquo Fortunae imperio dixit, jam perguit: tamen ejusdem Fortunae, cujus in hac una re iniquitatem accuso, ceteris in rebus benignitate usus es.

Restat vitium apertum, quod quum ceteri editores librariorum incuriae tribuerint, Hauptius poetae ipsius esse dicit. Nam v. 43 *Quodque pudicitia est tantum cumulata bonorum*, cumulata per synesin cum verbis tantum bonorum conjungi jubet, quanquam nullo exemplo vel barbaros unquam ita dixisse docuit. Difficile est invenire medicinam; conjeceris: *cumque pudicitia turba inviolata bonorum*.

Auctorem vero ab omni antiquitatis sensu atque judicio alienum inde Hauptius agnoscit, quod v. 373 Fortunam totum per orbem caecam caecis equis triumphantem faciat, quem Fortunae triumphum ignorent veteres poetae, scriptores, artifices. At de Majestate, quam deam Merkel. (praef. ad Ovid. Fast. p. CXCIII) vaticinio quodam ab Ovidio informatam paucis post annis magna cum religione coli Romae coeptam esse dicit, Ovidius Fast. V, 52 cecinit; *Illa coronatis alta triumphat equis*. Unde apparet, fingi a poetis et affingi quaedam diis, quae in communi hominum opinione posita non sint.

Atque haud scio an in alterum illum locum (v. 229) idem cadat, in quo Hauptius deprehendi existimat poetam non antiquum, qui Tiberinum deum contra morem antiquum equis vehementem informet. Nam quum et equi admitti dicantur Her. I, 36 *Hic laecer admissos terruit Hector equos*; Am. III, 2, 78 *Evolat admissis discolor agmen heris*; et aquae Her. II, 114 *Et sacer admissas exigit Hebrus aquas*; Am. III, 6, 86 *Nec capit admissas alveus altus aquas*; poeta aquas cum impetu quodam decurrentes cum equis incitatis comparare poterat. Quod si cui displiceat, cum Heinsio legat: *cursusque inhibebat ad aequor*.

Jam si respicies, quid tandem ex iis, quae Hauptius disputavit, satis constet, videbis, illum fortasse hic illic infirmasse fidem; sed carmen illud non modo Ovidii non esse, sed post imperatorem Neronem scriptum, persuaserit nemini.

Accedimus igitur ad eam quaestionem, eequae similitudo sit inter Liviae Consolationem et Consolationes Polybii et Marciae a Seneca scriptas, et si intercedere eam cognitum fuerit, uter alterum sit imitatus. In qua re id primum miror, quod Hauptius scriptorem carminis post Liviam viventis in ea re invenisse visus est, quod quae narraret, ab iis discrepant, quae Seneca referret; tum vero etiam, quod cum iis consentirent. Ovidii igitur, credo, illud non est primum, quod a Seneca discrepat, tum quod non discrepat.

Quid autem est, quod ab illo Liviae consolatore referatur, a Marciae et Polybii consolatore non referatur? Versibus 417—426 Livia reprehenditur, quod adeo dolori de filii morte indulserit, ut inedia vitam finire vellet, nec nisi vi a marito et filio adhibita retineretur. Atqui Seneca Liviae constantiam ad imitandum Marciae proponit, id quod facere non potuisset, si verum esset, quod epicedii auctor narravit. Itaque totam illam rem nec satis quidem scite inventam esse. Accedere etiam illud, quod Tiberius, qui simul cum Augusto Liviam a morte voluntaria retinuisse feratur, compluribus demum mensibus post mortem fratris cum corpore ejus ad matrem vel Ticini vel Romae versantem venerit. Num verisimile igitur esse, dolorem de filii morte, quum primum ea nuntiata sit, fuisse matri tolerabilem, compluribus mensibus post non fuisse.

Sed auctore Valerio Maximo (V, 5, 3 *tantum amore princeps parensque noster (Tiberius) insitum animo fratris Drusi habuit, ut cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum — valetudine fluctuare cognosset, protenus inde erumperet*), quum nuntius de Drusi casu afferebatur, Livia ipsa quoque Ticini erat, et cum eo Seneca ipse facere videtur, qui in Consol. ad Marc. c. 3 Liviam longo itinere reliquias Drusi sui prosectam esse dicit. Itaque Ticini primum Livia vidit Drusi corpus, quod compluribus demum post mortem mensibus a Tiberio Ticinum pervectum esse unde Hauptius rescierit, nescio. Nam si verum est, quod Liv. Epit. 140 traditur, Drusum tricesimo die, postquam equus super crus ejus collapsus id fregerit, mortuum esse, et Tiberius casu illo ex media inde Germania Ticinum nuntiato, tamen celeriter advolans illum adhuc vivum invenerat (Dio Cass. LV, 2), certe non complurium mensium spatio opus fuit, ut Drusi corpus Ticinum ferretur. Neque apertis verbis scriptor epicedii dixit, Augustum et privignum una operam dedisse, ut Liviam a mortis consilio avocarent. Fieri igitur potuit, ut Livia id consilium, quod ne perficeret, ab Augusto vi impedita erat, tandem post filii adventum precibus ejus mota abjiceret. Ceterum nolo hoc loco persequi, quam variata sit a scriptoribus hujus rei memoria, licet admodum levem esse Senecae auctoritatem facile inde probare possim. Sin vero eam ob causam haec vere a Consolationis auctore referri Hauptius negat, quod ineptus esset Seneca constantiae exemplum eam feminam proponens, cui mors ipsa minus acerba quam dolor esset, plane neglexit, quae illa esset, quam Seneca consolaturus erat. Non id enim in Marcia Seneca reprehendit, quod filium lugeat, sed quod, quum jam tertius post illius mortem praeterierit annus, nihil a primo illo doloris impetu remittat et turpe putet desinere lugere. Deinde eligere illam jubet, utrum Octaviae, filio amisso nullum finem per omne vitae suae tempus flendi gemendique facientis neque a luctu se

avocari patientis, an Liviae sequi exemplum malit, quae dolorem suum in eodem, quo filium, tumulo posuerit. Itaque pergat: *hoc inter nos quaeretur, utrum magnus esse debeat, an perpetuus dolor* (c. 4). Magnum igitur esse dolorem Seneca non vetat, vetat perpetuum, nec ideo Liviam laudat, quod moderate calamitatem tulerit, sed quod non de industria et tenuerit dolorem et auxerit. Magnum autem et immoderatum primum Liviae quoque dolorem fuisse, testis ipse Seneca est, qui c. 4 dicat, illam in primo fervore, quum maxime impatientes ferocesque sint miseriae, se consolandam Aereo philosopho praebuisse et multum eam rem profuisse sibi confessam esse.

Accedo ad alteram partem, num tanta sit Consolationum Annaearum et ejus, quae Ovidio tribuitur, similitudo, ut fieri non possit, quin alter alterius exemplum secutus sit. Cujus quidem similitudinis Hauptius non plus duo exempla attulit in iisque magis ad verborum quam ad rerum similitudinem animum advertit. Sed si accuratius illos libros comparaveris, vix invenies quidquam, quod epicedii auctor conqueratur, quin idem, si modo apte fieri possit, in Polybii vel Marciae casu Seneca deploret; vix ullum Liviae solatium, quin eodem vel Marcia vel Polybius sustentetur.

Liviae virtutes Fortunae iniquitatem non defenderunt (Consol. ad Liv. v. 41 — 54). Nihil prodest innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summae potentia, summa conservata abstinentia, nihil sincerus et tutus litterarum amor, nihil ab omni labe mens vacans. Luget Polybius. (Sen. Consol. ad Polyb. 22.) — Drusus mortuus Liviam de Tiberio quoque vereri jubet (ad Liv. v. 155); Polybius in uno fratre, quid de reliquis fortuna possit, admonitus, etiam de ipsis doloris sui solatiis timet (ad Polyb. 22). — Liviae potentia nemini timenda fuit (ad Liv. v. 47. 48); nemo potentiam fratris Polybii injuria sensit, nunquam ille Polybium fratrem ulli minatus est (ad Polyb. 22). — Augusti certe domus luctus expers esse debebat (ad Liv. v. 59—64); ne ei quidem rerum natura lugendi necessitatem abstulit, cui coelum destinaverat (ad Polyb. 34). — Funera domus suae, quae Augustus ipse viderit, recensentur ad Liv. v. 65—72; brevius eorum mentionem facit Seneca ad Polyb. c. 34 et ad Marc. c. 15. — Tiberius fratrem morientem vidit et in complexu suo amisit (ad Liv. v. 89—92; ad Polyb. c. 34), quanto felicior ille Livia, matre, quae ne suprema quidem pietatis officia filio praestare potuerit (ad Liv. v. 95—98; ad Marc. 3). — Tiberius exercitui ducis corpus sibi vindicanti vix fratrem mortuum eripuit et ad matrem rettulit (ad Liv. v. 167—172; ad Polyb. 34). Triumpho simillimum per Italiae oppida funus ductum est (ad Liv. v. 173. 174; ad Marc. 3). — Mars Tiberinum de rogo ad ripas suas exstructo irascentem placat, quod nec ipse filiorum fata deprecari potuerit (ad Liv. v. 239—244); Seneca, ne deos quidem in fabulis immunes esse, ut humanorum funerum levamentum esset, etiam divina concidere, Marciam admonet (ad Marc. 12). — Drusus apud inferos a majoribus excipietur et magno erit apud eos honore (ad Liv. v. 329—340); Marciae filium ad excelsa sublatum excipit coetus sacer, Scipiones Catonesque, avus illic nepotem suum sibi applicat (ad Marc. 25). — Locus, in quo Livia est posita, moderate eam ferre dolorem jubet, nec eadem Drusi matrem et vulgus decent (ad Liv. v. 345—356); magnam Polybio partem hominum consensus imposuit, ea illi tuenda est, nihil eum plebejum decet, nihil humile, non idem ei in luctu pari, quod fratribus ejus, licet (ad Polyb. 25). — Cum ironia quadam in communi omnium rerum ruina Livia ejus, quae ei uni acciderit, calamitatis recordari jubetur (ad Liv. v. 357—364). Idem Polybius Seneca monet: Mundo quidam minantur interitum et hoc universum, quod omnia divina humanaeque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis et singulas compleoret animas, eat aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse queratur (ad Polyb. 20). — Mortalis fuit Drusus, ut mortem ejus mater, exspectare posset (ad Liv. v. 367. 368). Si mortuum Marcia filium dolet, universam conditionem humanam accusat, nam mors nascentibus determinata est, in hanc legem dantur (ad Marc. 10). — Fortuna hominibus vitam non suam, sed utendam, mutuam nec certo die persolvendam dedit (ad Liv. v. 369). Nihil homines suum habent, ita Marcia ne filium quidem. Mutuo omne, quidquid id est, accipiunt. Usus fructus hominum est, cujus tempus ille arbiter muneris sui temperat. Homines oportet in promptu habere, quae in incertum diem data sunt (ad Marc. 10). — Fortuna, quae jam acerba fuit Liviae, acerba Polybio, Marciae, Liviae rebus antea favit, multa providit, quibus injuriam Polybio illatam emendaret (ad Liv. v. 377. 378; ad Polyb. 37; ad Marc. 5). — Non ex praecipiti dolor in Liviae pectus venit (ad Liv. v. 399), quum magis corruiere necesse sit, qui quasi ex inopinato feriantur (ad Marc. 9). — Drusus ipse, si ex inferis emitti posset, matrem dolere vetaret eamque solari studeret (ad Liv. v. 445. 446); pater Marciam ex illa arce coelesti tenere aegritudinem vetat (ad Marc. 26); Polybii frater, si quis defunctis sensus est (cfr. ad Liv. v. 469), dolorem, quo ille intabescat, finiri cupit (ad Polyb. 24). — Satis diu, si non annos, sed res gestas numeres, Drusus (ad Liv. v. 447. 448), satis diu Marciae filius vixit, si virtutibus non annis aestimetur (ad Marc. 24). — Denique Augusto sospite funestam esse ejus domum dedecet (ad Liv. 473. 474); Polybio fas non est, salvo Caesare (Claudio) de fortuna queri, parum gratus ille adversus felicitatem suam est, si sibi quicquam eo salvo flere permittit (ad Polyb. 26).

Jam si fieri nullo modo potest, ut haec similitudo tanta tamque aperta casu nescio quo orta sit, uter imitator est, uter auctor? Ego quidem ut imitatoris partes Senecae esse existimem, his causis adducor. Primum ille ipse Helviam matrem consolaturus scribit (c. 1): *Quum omnia clarissimorum ingeniorum monumenta ad compescendos moderandosque luctus composita evolcerem, non inveniebam exemplum ejus, qui consolatus suos*

esset, quum ipse ab illis comploraretur. Itaque mihi illas Senecae Consolationes legenti, quanquam non id tum spectabam, tamen passim occurrerunt, quae jam apud alios scriptores me legere meminissim. Ut in iis, quae Seneca ad Marc. c. 19 disputat, mortem non esse malum, in mente habuisse videtur, quae Cicero Tusc. I, c. 5—7 de hac re dicit, nec quae in Consolatione ad Marc. c. 25; ad Polyb. c. 27 extr. sunt, ille scripsit, quin eorum meminisset, quae Cicero Tusc. I, § 44 et 45 disputavit. Aliis locis Virgilium, aliis fortasse etiam claram illam Sulpicii epistolam consolatoriam agnoscas. Quod si eo tempore, ubi Seneca illos ad Marciam et ad Polybium libellos composuit, elegia de morte Drusi scripta jam exstabat, dubium esse non potest, quin ea quoque ille usus sit. Fuisse autem, qui Liviam de filii morte lugentem quum propter pietatem erga Drusum, tum gratiae conciliandae causa consolari studerent, et per se probabile est et ex Consol. ad Marc. c. 2. potest colligi, ubi haec sunt: *Octavia carmina celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores rejecit*. Nam quod ad Octaviae dolorem minuendum poetae et scriptores fecerunt, id haud scio an studiosius etiam in Liviae luctu fuerint. Atque eo referas, quae ad Marc. c. 3 legimus: *Non desiit (Livia) Drusi sui celebrare nomen, ubique illum sibi privatim publice repraesentare et libentissime de illo loqui, de illo audire*.

At jam non id agitur, num Seneca illa elegia usus fuerit, si exstabat, sed num uti potuerit, quia exstabat. In qua quaestione quum aliorum scriptorum testimoniis destituamur, ii, de quibus agitur, ipsi inter se comparandi sunt. Atque jam supra docui, in Drusi epicedio vix quidquam legi vel lugubre vel ad dolorem mitigandum appositum, quod quidem ad Marciam vel Polybium pertinere posset, quin idem haberet Seneca. Contra apud Senecam non pauca leguntur, quae si Consolationis auctor apud Senecam legisset, omissa ab eo esse sane mireris. Quanquam enim aliter solari philosophum, aliter poetam non ignoro; tamen sunt quaedam utriusque communia, nec tam solatia inter se differunt, quam consolandi ratio. Ita Aeneas, quem consolantem Seneca (ad Marc. c. 4—6) inducit, Liviam filio raptu lugentem, quas ante ex illius blanditiis, incrementis studiorum ceperit voluptates, recordari jubet, neque se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita procedat, magnum esse docet, denique ei non solum filium incolumem, (id quod Consolationis quoque auctor facit), sed etiam ex amisso nepotes ostendit. Ibidem Seneca eam ob causam Marciam dolere vetat, quod nihil fletu efficiatur. Similia ad Polyb. c. 29 scribit dicitque magnam esse felicitatem in ipsa felicitate moriendi et ingrati animi accusat, qui injuriam vocet finem voluptatis, et nimis angustare gaudia sua, qui iis tantummodo, quae habeat ac videat, frui se putet, et habuisse eadem pro nihilo ducat. Nec illud est apud epicedii auctorem, quod ad Polyb. c. 27 legitur, mortuos in eum restitui locum, in quo fuerint, antequam nascerentur. His solatiis omnibus poeta uti poterat, quaedam eorum certe non omisisset, si uti ei Senecae libris licuisset. Quod autem Germanici mentionem non facit, haud scio an illo tempore carmen scriptum sit, quum illius apud populum gratia Tiberii invidiam movere coepit, ut laudare illum periculosum esset.

Denique poetam ex Senecae Consolationibus hausisse vel eam ob causam negaverim, quod aliud antiquius exemplum, quod ille secutus sit, ostendere possum. Nam si praeclaram illam Ovidii elegiam, qua immaturam Tibulli mortem deflet (Am. III, 9), legeris, non solum has vel illas versus, sed ipsas totius carminis partes inter se similes invenies. Habet primum illud quoque carmen partem lugubrem (v. 1—46) et partem consolatoriam (v. 47—68), atque ut in Liviae consolatione Drusi funus describitur, ita Am. III, 9, 7—16 Amor et Venus Tibulli funus comitantur. Confer etiam eversam Amoris pharetram (v. 7) et eversos Drusi fascies (ad Liv. v. 141). Quum ne vatibus quidem mors parcat, tamen opera eorum rogos avidos defugiunt (Am. III, 9, 17—32). Victrices Drusi manus, facundum os comburuntur, facta ducis et rerum gestarum gloria vivunt (ad Liv. v. 259—268). Tum sibi respondent Am. III, 9, 33—42 et ad Liv. 129—136. Tiberini de Drusi funere irascentis partes in Tibulli funere Venus habet (Am. III, 9, 45 et 46). In alteris carminum partibus simillima sibi sunt, quae Am. III, 9, 59—66 et ad Liv. 329—340 leguntur. Denique utrumque carmen precibus finitur.

His ita explicatis, id saltem constabit, nihil ab Hauptio esse allatum, cur epicedii scriptorem ex Senecae Consolationibus hausisse credamus atque probabilis etiam esse, Senecam illam de Drusi morte elegiam vidisse.

At Consolationis ad Liviam scriptae auctor versibus 371 et 372 *Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis, Illa rapit juvenes, sustinet illa senes*, — aperte secutus est Caelium Firmianum Symposium, cujus duo sunt carmina, alterum de Fortuna quindecim versus, alterum de Livore viginti quinque versus. Is enim de Fortuna cecinit: *Haec aufert juvenes et retinet senes, Injusto arbitrio tempora dividens*.

Sed cur Hauptius hujus sententiae ceterum non tam singularis, ut non plures scriptores idem possint dicere, faciat auctorem, alterum poetam imitatore, ne levissimam quidem causam attulit. Ceterum si fontem ab rivulo derivato aqua puriore et limpidiore discernas, omnia apud Consolationis auctorem venustiora sunt, et verba dispensandi, rapiendi, sustinendi Ovidius de similibus rebus habet. Cfr. Her. XII, 3

*Tunc quae dispensant mortalia fata sorores,  
Debuere fusos evoluisse meos.*

Am. III, 9, 41 *tene flammae rapuere rogales?*

Her. I, 114 *Extremum fati sustinet ille diem.*

Met. X, 188 *Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.*

In iis vero, quae de elegia ab incerto auctore in obitum Maecenatis scripta Hauptius disputavit, plane abusus est doctrina. In illo enim carmine quaedam veniuntur, ubi alter poeta alterum videtur expressisse. (Cfr. eleg. in obit. Maecen. v. 7. *Ille rapit juvenes prima florente juventa, Non oblita rapit sed tamen illa senes* — et ad Liv. versum 372 supra laudatum; in obit. Maecen. v. 15 et 16 *Omnia quum posses tanto tam carus amico, Te sensit nemo velle nocere tamen* — et ad Liv. 47 et 48 *Nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi, Nec quenquam nervos extimuisse tuos*; denique in supremis Maecenatis verbis, illi elegiae adjunctis, v. 6 est: *Et magnum magni Caesaris illud opus*, quo eodem nomine Drusus vocatur ad Liv. v. 39).

Jam Hauptius carmen illud ante annum p. Chr. n. MCCCCLXVIII vel paucis annis prius notum non fuisse, elegiam autem de Drusi morte primum anno MCCCCLXXI esse editam, ipse docuit, ipse carmen illud nullius pretii esse judicat, neque quenquam fugit, quam languide ille poeta illum pentametrum: *Ille rapit juvenes, sustinet illa senes, ita recoxerit et in totum distichon duxerit, ut ad Maecenatem pertinere posset; sed tamen eo quoque loco hujus elegiae auctoritatem secutus est is, qui se Liviae dolori moderari velle videri vult. Qui tandem poeta, quem Hauptius ipse non malum esse confitetur, impelli poterat, ut languidum illum versuum fabricatorem aemularetur? Quia, ait Hauptius, in elegia in obit. Maecen. v. 1 legerat, eundem poetam jam ante alio carmine Drusi mortem deflevisse. Scilicet cum carmen illud non jam inveniretur, reparare illud litterarum damnum voluit.*

Quae Hauptius adjecit, potuisse aliquem saeculo quinto decimo doctiorem Italum omnia ea novisse, quae in hoc carmine vel narrantur, vel tanguntur, quanquam in iis quoque sunt, quae critico patere videantur, tamen examinare hoc loco opus non est. Nam ut jam paucis repetam, quod sentio, cur carmen illud de morte Drusi saeculo post Chr. n. quinto decimo tribuendum sit, satis firmam ac stabilem causam Hauptius attulit nullam, ac ne illud quidem omni dubitatione exemit, elegiam non esse Ovidii.

Postremo si quaeratur, quid ipse tandem de eo carmine censeam, ante Senecae Consolationes id scriptum videri, jam supra ostendi; Ovidii esse ego quoque negaverim. Nam ut omittam versus quosdam Ovidio et huic poetae communes in hoc carmine loco minus apto positos esse, primum Ovidium sua ipsum vestigia ita secutum esse, ut secutus est Consolationis auctor elegiam de morte Tibulli scriptam, vix crediderim. Tum vero dubium esse potest, num haec elegia proximo post mortem Drusi tempore scripta sit, ut non vera sed ficta consolatio sit. Versibus enim 283—290 poeta de Castoris et Pollucis templo dicit, quod suo et Tiberii nomine inscriptum Drusus non jam conspecturus sit. Illud templum num eam ob causam v. 287 Drusi munus vocetur, quod Drusus id se suo fratrisque nomine dedicaturum esse voverit, non constat; certe nemo scriptor templi a Druso voti mentionem fecit. Contra Dio Cass. LV, 27 refert Tiberium Castorum templum dedicantem, non suum unius, sed fratris quoque nomen inscripsisse, et Suet. Tib. 20: *dedicavit et Concordiae aedem item Castoris et Pollucis suo fratrisque nomine de manubiis*. Factum id est anno 759 p. u. c. Quo anno voverit templum Tiberius, ignotum est, sed si verum est, quod Merkel. in praef. ad Fast. p. CXXXVI satis probabiliter explicavit, vetus Castoris et Pollucis templum a. 747 igni absumptum esse, ne id quidem credible est, votum esse illud templum ante annum 747, quo eodem anno Concordiae aedem reficiendam Tiberius susceperat. (Dio Cass. LV, 8). Itaque eo anno, quo Drusus mortuus est, (745), nondum quisquam de Castoris et Pollucis templo Tiberii et Drusi nominibus inscribendo dicere poterat. Poterat id tum demum scribi, ubi Tiberius templum suo fratrisque nomine vel dixerat se dedicaturum, vel jam dedicaverat i. e. anno 759.

Quod si Ovidius hanc elegiam scripserit, certe non consolaturus Liviam recenti dolore afflictam, sed gratiae conciliandae causa composuit, sive brevi ante relegationem, sive, quae est Manutii et Passeratii opinio, postquam relegatus est. At Ovidius ipse quum multis locis opera sua commemoret, hoc carmen nusquam significavit, ac ne iis quidem in locis, ubi si scripsisset, omissurus fuisse putandus non est. Nam qui omnis animi constantiae immemor flebiliter omnia conquiverit, quaecunque Augusti iram placare vel certe mollire posse viderentur, qui Trist. II, 61 sqq. libros suos testes sui erga Augustum animi esse dicat, atque in eo numero non solum mutatas formas, sed etiam artis amandi praecepta referat, eum num oblitum putamus esse ejus carminis, quo nullum magis testificari ejus erga domum Augustam voluntatem posset?

Arbitror igitur de morte Drusi elegiam Livia viva ab aliquo ex numero eorum poetarum esse scriptam, quibuscum Ovidius vixerat, et qui ejus carminibus excitati atque ingenii artisque ejus amatores, ita ejus et orationem et rationem imbiberant, ut quae scriberent, ab Ovidianis non multum abessent.

